AD

SOLEMNIA

EXAMINIS PUBLICI

IN

GYMNASIO REGIO HAMMONENSI

DIE XIV. MARTII

INSTITUENDI

OBSERVANTISSIME INVITAT

FRIDERICUS KAPP,

PHIL. DR. ET AA. LL. M., GYMNASII DIRECTOR.

PRAEMITTUNTUR *REINHARDI STERNII*, PH. DR. ET PROF., *SYMBOLAE AD GRAMMATICAM ROMANORUM POETICAM.*

HAMMONE,

TYPIS SCHULZIANIS.

MDCCCXLV.

S Y M B O L A E

A D

GRAMMATICAM ROMANORUM POETICAM.

S C R I P S I T

R. A. H. STERN,

PH. DR. AA. LL. M. REG. GYMN. HAMMON. PROFESSOR.

H A M M O N E,

T Y P I S S C H U L Z I A N I S.

MDCCCXLV.

Arduum esse ac difficilem tironibus ad poëtarum antiquorum oblectamenta ascensum, omnes facile concedunt in hoc genere usu experti. Quae duae res enim in ea disciplina debent convenire, ingenium et exercitatio, earum unaquaeque est res ipsa magna per sese. Et ingenium quidem debetur divino favori; nec, quae natura negavit, arte inseri queunt. Sed est ingenii alacritas eiusmodi in pueris, ut non tam deesse plerisque, quam dormitare videatur: ad quam si disciplina accesserit e ratione et meditatione profecta iuvenilique captui ac naturae conveniens; facile fit, ut vel parsimoniam naturae, sicubi se illa novercam praestiterit in ingenio fingendo, superes. Quae res cum multum in omni scholastica institutione, tum plurimum valet in antiquorum lectione poëtarum. Haec enim inter ceteras exercitationes, quae adolescentium informandorum caussa inventae sunt, tum argumentorum multitudine ac varietate, tum tractationis diversitate ac dissimilitudine tam late patet, ut in illo paedagogicae artis loco, qui est de veterum scriptorum tractatione, ea semper et gravissima et difficillima quaestio habita sit, qua ratione sint poëtarum studia in scholis moderanda. Est autem illa quaestio multo difficilior in Romanorum, quam in Graecorum poëtis. Nam ut Graecorum et cogitandi et dicendi genus multo est simplicius magisque ad poësin factum, quam severa mens et impeditior oratio Romanorum: ita difficilior pueris est atque multo salebrosior intricatiorque ad hos poëtas aditus vel propterea, quod maturius in Romanarum, quam in Graecarum Musarum palaestram solent deduci. Ac maiorum institutio scholastica multo uberiores in eo genere fructus protulit: cuius rei quae caussa sit, nemo ignorat, qui veterem disciplinam, antiquarum litterarum studiis unice propemodum fundatam, cognitam habet. Verum accedit alia difficultas. Sunt enim poëtae Latini et modice doctis ab hominibus ornati, et multo parcius nostris quidem temporibus quam olim tractati, desideraturque imprimis regularum orationis poëticae eiusmodi complexus, qui tironibus subsidio sit eorumque primos in ea re labores adiuvet. Posuit olim praeclarum in arte Romanorum poëtica illustranda studium Ch. D. *Jani* in libro: *Artis poëticae Libri IV. Halae MDCCLXXIV.* non illo quidem plane incognito, sed parum antehac in institutione scholastica adhibito, et nunc fere contempto. At immerito. Nam, ut testem faciam Langium (praef. Crustulorum Lips. 1826. p. V.) etsi insunt plura verbosius enarrata et minus subtiliter

disputata, neque suo ordine disposita, desiderantur etiam multa, quae ex diligentiore et doctiore poëtarum lectione recentior aetas protulit; nullum tamen adhuc librum novimus, in quo quae tironibus de elocutione poëtica addiscenda sunt, luculentius exposita, plenius collecta et in suos locos digesta invenias. Desiderari igitur etiamnum grammaticam latinorum poëticam, nemo est eruditorum quin fateatur. In ea re nuper duumviri praestantissimi operam posuerunt, alter, quem pie veneror in praeceptoribus meis, Carolus Georg. Jacob, Portensis Professor, alter vicinus nobis „studiique locique" J. R. Koene, Monasteriensis. Utriusque labor utilissimus. Et Caroli quidem Georg. Jacobi commentatione eleganter et accurate scripta *de usu numeri pluralis apud poëtas Latinos* (Numburgi 1841.), qua via sit et ratione progrediendum in his studiis, quaeque praesidio scribentibus exstent, et significatum est prudentissime, et eo loco, qui est de pluralibus poëticis, doctissime demonstratum debetque illius operae non parvam meus libellus exemplorum supellectilem. Koenius de epicorum potissimum sermone illustrando meruit. Cui etsi in eo assentiri nequeo, quod ad dactylicorum metrorum necessitates nihil non referendum putavit, egregiam tamen ille diligentiam posuit cum in exemplorum copia accurate examinanda, tum in ratione grammaticae computanda nova quadam sua adiectaque disputatione vernacula Grauerti, Viri optimi et candidissimi, scripta de Epicorum Romanorum re metrica. Ex huius quoque libro multa in meas symbolas redundasse, libero fateor. Nam sunt omnino haec studia ita comparata, ut non tam unius hominis opera consummari, quam multorum observationibus, tanquam in promptuarium undiquaque comportatis et crescere et ad finem aliquem perduci posse videantur.

Oportet autem, quos recte poëtarum lectione imbuere volumus, eo perducamus, ut cum venustatis sensu dictionis etiam poëticae cognitionem facile imbibant adolescentuli. Et quoniam de dictionis proprietate disputabimus, qui hunc locum grammaticae seorsim tractare volet, negotium suscipiet tripartitum. Etenim et ipsa vocabula, quae poëtici generis propria sunt, et eorum qualitates spectari convenit, et nexum, qui positus est in constructione, et eam denique totius orationis conformationem, quae varias animi affectiones poëtarum more prodit. Hinc grammaticae poëticae tres partes effici videntur, quarum prima res prosodicas metricasque et proprietates *etymologicas* complecitur, altera ad doctrinam *de syntaxi* refertur. Tertia ea est, quam possis *rhetoricam* poëtarum, vel *phraseologiam* appellare.

Ex his igitur partibus selegi quaedam capita, non quo perfectam de his generibus doctrinam omnibusque numeris absolutam proponerem, sed ut aliquid ad eam rem contulisse viderer, non ignotam quidem illam, sed multis tamen neglectam. Sequar autem, quantum quidem fieri licet, qui publica adhuc auctoritate ornatur, Zumptii ordinem ac dispositionem et dicam primum

I.

De generis permutatione poëtica.

§. 1.

Constat, a grammaticis distingui generis formam *etymologicam* et *logicam*. Earum prior petita est e nominum formatione grammatica, posterior e ratione significationum nata. Permutantur hae formae a poëtis.

— — — vestris *disiecta* lacertis *Ilion*. Ovid. Her. 1, 47. — postquam *alta* cremata est *Ilion*. Ovid. Met. XIV, 466., ubi supplendum: *urbs*. (Legitur in libris quibusd. *Ilios*.) Et quas Ossa tulit, quas *altus Pelion* herbas. Ovid. Met. VII, 224. Ignibus Ossa novis et *Pelion altior* Ossa Arsit. Ovid. Fast. III, 441. Contra Graecis usitatum est: τὸ πήλιον ὄρος, quod Statius imitatur: *immane Pelion*. Cfr. Schneider p. 13. Voss. de Anal. I, 10. p. 414 sq. Ruddim. I. p. 7. sq. Drakenb. ad Liv. 44, I, 5. Reisig. Gr. Lat. p. 140. — *magnusque Garumna* Tibull. I, 7, 11. Gr. ibid. p. 140. Adde urbium nomina tertiae declinationis in *us* gen. *untis* (ους gen. ουντος). Sunt ea masculini generis, si etymologiam sequeris; tamen a Virgilio dicitur: *palmosa Selinus* (sc. urbs) Aen. III, 705. (Schneider p. 139 sq.)

§. 2.

Inter bestiarum nomina ἐπίκοινα amant poëtae femininum genus, sive quod metrum postulabat, sive quod illa forma mollior et nobilior videbatur.

Nobiliumque greges custos servabat *equarum*. Ovid. Met. II, 690. — Vosque *canes satiatae* sanguine herili. Ovid. Met. III, 140. Saepe avidum fugiens restitit *agna* lupum. Ovid. Fast. II, 86. Et stetit in saxo *proxima cerva leae*. ibid. 88. Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis, seu poscat *agna*, sive malit haedo. Hor. Carm. I, 4, 12. — *Caesa* iungebant foedera porca. Virg. Aen. VIII, 641.

Genus commune apud poëtas exstat in: *auctor, augur, custos, hospes, iudex, iuvenis, miles, par* (Genosse), *testis*. (Madvig Gr. lat. p. 22.)

II.

De declinationibus.

§. 3.

Amant poëtae formas peregrinas et vetustas. Itaque quae e *Graecorum* lingua immigrarunt in latinam vocabula, eorum *graeca formatio omnino familiarior est poëtis*. In singulis tamen declinationibus usus et rationes sequuntur varias.

Ac *de prima quidem declinatione* observatum est, Horatium in satiris formas praeferre latinas, ut *Atrida*, *Scipiadam*, in odis et epodis Graecas, quippe plenius sonantes. Bentl. ad Epod. XVII, 17. Sat. II, 5, 76. Accusativum nominum propriorum graecorum in *as* et *es* terminatorum a Virgilio formari *an* et *en*, ut

Anchisen, *Acesten*, *Aenean*, at Italicorum nominum *am*, ut *Numam*, codices docent. Contra patronymicorum terminatio *es* (ης) in nominativo aliquoties mutatur in *a*. ut *Apella* Hor. Sat I, 5, 100. *Circa* Ep. 17, 17. Quod familiare nationi esset, Romanis est auribus assimilatum. Hinc *Marsya* maluit Horatius Satir. I, 6, 120 pro *Marsyas* scribere. Latissime in nomm. proprr. patet permutatio terminationis *e* (η) et *a* per casus omnes. Vix apud poëtas invenias nominativum, nisi *e Helene*, obliquos casus Virgilius amat terminare latine *(ae, am)*, fortius ille, quam Ovidius, qui miscet graecas formas latinis.

§. 4.

Notissima est genitivorum primae, secundae, quartae declinationis contractio in *um*. Commemorantur e prima declinatione tum patronymica in *es* et *a*, tum, quae *cola* et *gena* syllabis finiuntur.

Exempla habeto: *Aeneadum*, *Dardanidum*, *coelicolum*, *terrigenum*, *deum*, *Danaum*, *Poenum*. Frequens illud est apud Virgilium, rarius apud Ovidium.

§. 5.

Genitivi primae declinationis antiquissima terminatio *as* apud poëtas non satis constat; *ai* aliquoties admittitur.

auras pro *aurae* reiectum a Wagnero ad Virg. Aen. XI, 801. *Aulai* in medio libabant pocula Bacchi. Virg. Aen. III, 354.

In *generibus* prosaicorum et poëtarum usus constat, exceptis *dama* et *talpa*.

Cum canibus *timidi* venient ad pocula *damae*. Virg. Ecl. VIII, 28. Aut oculis *capti* fodere cubilia *talpae*. Virg. Georg. I, 183. — — *timidi damae* cervique fugaces. Virg. Georg. III, 539.

§. 6.

Secundae declinationis nomina, in *ius* et *ium* exeuntia apud poëtas genitivum habent *i*.

Lucili Hor. Sat. I, 10, 2. *Enni* id. Sat. I, 10, 54. *Laeli* Sat. II, 1, 72. *Arri* Sat. II, 3, 243. *Cassi* Epist. I, 4, 3. (Bentl. ad Terent. Andr. II, 1, 20) *incendi*. Lucret. VI, 673. *Lavini*. Virg. Aen. I, 258. *Capitol*. Virg. Aen. IX, 448. *peculi*. id. Ecl. I, 33. *negoti* Hor. Sat. II, 1, 80. Similia sunt *Di* et *Dis*. Corrupta scriptura est *Fluvii* Virg. Aen. III, 702.

Regnat in his metrorum necessitas. Parum stabilita est genitivi forma *eo* (εω), ut *Androgeo* Virg. Aen. VI, 20 et *Algatteo* apud Hor. Od. III, 16, 41, si recte suspicatur Wagner Varr. lectt. ad Aen. II, 371. Genitivi adiectivorum *unius ullius nullius* etc. exeuntes in *ius*, prouti versus necessitas postulat, modo producuntur (īus) modo corripiuntur (ĭus) cum omnes, tum plerumque *alterius*. In graecis nominibus in *eus*, aut admittitur συναλοιφή, ut:

cum pedes incedit medii per maxima *Nerei*. Virg. Aen. X, 764. Unius ob noxam et furias Aiacis *Oilei*. Aen. I, 41. Caucasiasque refert volucres furtumque *Promethei*. Ecl. VI, 42.

aut graeca declinatio, ut:

Theseos ap. Ovid. Met. VIII, 268. *Oileos* Met. XII, 622. *Pentheos* Ovid. Trist. V, 3, 40.

Similiter accusativum formant Graecorum more in nominibus propriis in *us* terminatis, ubi latinorum terminatio *um* metro adversatur.

Aesacon Ovid. Met. XII, 1. *Caucason* Met. VIII, 801. *Pegason* Met. IV, 784. *Daedalon* Met. XIV, 223. *Cerberon* Met. VII, 413. *Maenalon* Met. II, 415;

vel asciscitur *ea*, ut:

Nerea, Ov. Met. II, 268. *Penthea* IV, 22, itaque genitivus *ĕos*, et dativus *ĕi* tribuendus poëtis est.

A Virgilio insularum in nominibus graeca terminatio praelata est; in terris, montibus, fluminibus utramque formam admisit; in personis graeca terminatio rarior est. Vocativum nominativo aequant poëtae Graecorum more:

Vos, o *Pompilius sanguis*, Hor. A. P. 292. almae *filius* Maiae. Carm. I, 2, 43. I, pete virginea, *populus*, suffimen ab ara. Ovid. Fast. IV, 731. Corniger Hesperidum *fluvius* regnator aquarum. Virg. Aen. VIII, 77. *Geni*, qui in grammaticis latinis praescribitur vocativus non habet, quo nitatur, praeter Tibullum IV, 5, 9, ubi lege cum codd: magne *veni* etc. Denique vocativum nota *Panthu* Virg. Aen. II, 322, 429.

Contractio genitivi pluralis in *um* (antiquitus *om*) latissime patet. *Genus* in hac declinatione saepenumero a poëtis permutatur, ut:

iugulum habet *iugulos* Pers. Sat. IV, 110. Quanquam id etiam est apud Quintil. decl. IX, 21. Plin n. h. XI, 43. *Clipeus* frequentius ab epicis scribitur, quam *clipeum* (habes hoc Virgilio Aen. IX, 799). *Cubiti* vide ap. Ovid. M. XIV, 501. Cfr. Koene (Ueber die Sprache der röm. Epiker) p. 56.

§. 7.

In *tertia declinatione* incredibilis est poëtarum licentia. Notat primum promiscuos Graecorum nominum propriorum in *ων* exeuntium nominativos (*o* et *on*) Zumpt §. 54. Poëtarum epicorum esse *quies quietis*, non *quiei*, Koenius docet: Ueber die Sprache der röm. Epiker, p. 82: (*quie* tamen est apud Naev. et Afran. Priscian. p. 703. P.) *requiem* apud Virg. Aen. IV, 433. XII, 241. In qua re quantum debeatur epicorum versibus dactylicis, *pecus* verbi declinatio probat. Id dicebatur antiquitus *pecu* (Plaut. Rud. IV, 3, 5), plur. *pecua* (Cato R. R. 141), unde *pecuarius* natum. Abstinebant autem epici dativis et ablativis: *pecudibus*, *pecoribus*, pro quibus *pecubus* habet Lucret. VI, 1130.

Deinceps dicendum est de accusativo. Eum in nominibus Graecorum propriis in *ις* exeuntibus perraro in *im* terminant poëtae, sed, nisi nomen oxytonon est, rhythmis coacti *in* praeferunt Graecam formam; ut *Alexin*. At *Thebaida* (Θηβαΐς). vid. Wagner. qu. Virg. III, 3. *Tiberis* flumen sic declinatur a poëtis: N. *Tiberis* (*Tibris* Ovid. Fast. II, 68). *G. Tiberis*

(*Tibridis* Ovid. Met. XV, 432. Virg. A. VII, 436.) D. *Tiberi.* A. *Tiberim* (*Tibrim* Ovid. Met. II, 259. pro quo iniuria *Tibrin* Burm.)

Ablativus singularis in *e* dubitari vix potest, quin debeatur epicis poëtis primum in adiectivis in *x* et *s* terminatis, praecedente penultima brevi (fĕrax), tum in nominibus in *r* exeuntibus.

Itaque discrepant a prosa oratione *pare* (Ov. Fast. III, 193), *mārĕ* (de quo Jahn. ad Ovid. Trist. V, 2, 20), *impare* (Virg. Ecl. VIII, 75), *compare* (Ovid. Am. III, 5, 38), *Alpe* (Ov. A. a. III, 150), *igne* (Ruhnk. ad Ovid. Her. p. 27). Annumeramus ex adiectivis communis generis in *is*, *e*, *es* et *x* ablativos: *bipenne* (Tibull. I, 6, 47), *bimestre* (Ovid. Fast. VI, 158), *coeleste* (Ovid. Metam. XV, 743); accedunt: *divite* (et *diti*), *compote*, *praepete*, *sospite*, *simplice*, *duplice*. In quibusdam metrorum necessitas effecit contrarium, ut In: *classi*, *turri* (Aen. VIII, 1. Ovid. A. a. III, 416), *fini* (Lucret. I, 977). Adde: *tereti* (Virg. Ecl. VIII, 16), *hebeti* (Ovid. Met. XII, 85), *praecipiti* (Ovid. Met. II, 185), *ancipiti* (Ovid. Met. XII, 337). *Vespere* dactylicorum versuum est, *vespero* Horatio usitatum. Itaque in adiectivis unius terminationis magna est in hoc casu metrorum dominatio, de qua re cfr. Bentl. ad Hor. Sat. I, 9, 68. Frequentior tamen *e* littera in ablativis horum adiectivorum apud Ovidium et Virgilium; familiaris est haec terminatio Horatio in adiectivis in *ans* et *ens* terminatis (Zumpt Gr. §. 64). Adiectivorum *amens*, *demens*, *ingens*, *exsors*, *consors*, ablativum In *i* fecisse epicos, notavit Koene l. c. p. 135.

Accedimus ad *nominativos, accusativos, vocativos pluralis numeri.* In his exstat antiquior *is* terminatio estque accurate examinanda in hoc genere librorum Mss. auctoritas, ut apud Virg. A. X, 350, 351, atque adeo soni suavitati in ea re multum tributum fuisse credibile est.

Genitivi pluralis syllabam finalem *ium* metrum iubet in *um* mutari.

Ita *volucrum* poëticum est, ut *panum* (Verrius ap. Charis. p. 69. 114 P.), *strigilum* ap. Plin. XXXI, 10, 47, *mensum* (Ovid. Met. VIII, 500, Fast. V, 187, 424), *agrestum* (Virg. G. I, 10), *coelestum* (Lucr. VI, 1272, Ovid. Met. I, 150, Catull. 64, 204). Koene l. c. p. 69. Poëtarum est *fraudum*, *murum*, *crurum*, *sedum*. *Anciliorum* pro *Ancilium* Horatius habet Od. III, 5, 10.

§. 8.

Graecas nominum formationes poëtas amare, supra dictum est. Itaque in hac declinatione usitata sunt *Daphnidos*, *Phasidos*, *Atlantidos*, *Nereidos*, *Pallados*, *Tethyos*, etiam, quae in *eus* exeunt genitivos formant *ĕŏs*, *ĕi*, ut *Theseos* (Ovid. Met. VIII, 268). Vid. supr. §. 3. Ita nomina propria in *is* et *ys* a poëtis finiuntur saepe in *in* et *yn*. Sed apud Virgilium haec terminatio metrorum necessitati debetur. Wagn. qu. V. 3. p. 389. *Achilles* et *Ulixes* genitivos habent maxime apud Horatium *Achillĕī* (Hor. Od. I, 15, 33), *Ulixei*, vel *Achilli*, *Ulixi*. *Achillis* legitur Ovid. Pont. I, 3, 73. Urbium nomina in *εις* apud Latinos poëtas finalem syllabam habent plerumque *is* ut: *Croesi regia Sardis*. Hor. Epist. I, 11, 2.

§. 9.

De *genere* tertiae declinationis pauca modo notanda. Videndum tamen, ne praeter metrorum rationem, sono et pronuntiandi suavitati interdum aliquid tribuerint in mutandis generibus. Sic maluit *quam fessis finem* dicere Virgilius Aen. III, 135, ne *e* litteram nimis cumulasse videretur, si recte observavit Gellius XIII, 20. Similiter *quae finis* Hor. Epod. XVII, 36, et est alienum fere a prosaicis femininum huius vocabuli genus. (V. Haase ad Reisig. gr. l. §. 99). *Pumex* femininum est apud Catull. epigr. 1, 2. (masculinum in hoc versu habet Servius ad Virg. Ecl. VI. et codd. Ambros.) *Obex* feminino genere posuit Virg. Aen. X, 377 (Schneider p. 111). Adde *timidos* agitare *lyncas* apud Horatium Od. II, 13, 40. Cfr. Priscian. p. 689. *Linter exiguus* est Tibull. II, 5, 34. *Cupido* ab Horatio masculino genere usurpatur. Acron. ad Horat. Sat. I, 1, 61. Muret. var. lectt. I, 4. Cfr. Heins. ad Ovid. Met. VIII, 74. Klotz lectt. Venus. p. 270. Reisig. gr. l. §. 99. *Silex* femininum apud poëtas notavit Quinctil. I, 6. §. 2. item *clunis*, et *funis* (Lucret. II, 1154). *Torquis-unca* (Propert. IV, 10, 44) cum masculinum praecipiatur a Naevio (Charis. p. 110, P.) *Cinis acerba*. Catull. 68, 90. Pro masculino *vultur* (Z. §. 79, 4) vulturium est ap. Catull. 68, 124, ibid. 107, 4. Lucret. IV, 684.

§. 10.

Accedimus ad *quartae declinationis* proprietates. Natae sunt partim hae quoque ex necessitate metrorum, ut *genva* pro *genua* Virg. Aen. XII, 905 (pariter ac *tenvia* Georg. I, 397, alia). Dativum *ui* in *u* attenuatum falso Priscianus p. 778 unice poëtis tribuit, etsi: *concubitu indulget* Virgilius habet Georg. IV, 198, *parce metu* Aen. I, 261, *aspectu ne subtrahe nostro* Aen. VI, 460. Cfr. Wagner var. lectt. ad Virg. Ecl. V, 29. Plaut. Capt. IV, 3, 6. Burm. ad Anthol. Lat. I, 577. Eckstein ad Voss. de anal. II, 18. Haase ad Reisig gr. l. p. 101. Apud prosaicos, Caesarem, Tacitum, Livium cet. consulendi codd., qui *u* praebent perraro. Retinent *ui* epici, si metrum admittit illud. *Dómui* Ovid. Her. XVI, 212, Met. IV, 66 *impetu*, cur in *impete* mutaverint, statim intelliges. Sic Lucret. IV, 118. Ovid. Met. III, 79. Genitivum *uum* in *um* corripiunt, ut Virgilius: *quae gratia currum*. Aen. VI, 656, cui respondet Martial. II, 5, 3, *passum* scribens pro *passuum*. Dubius est Ovidius Met. XII, 216 (*matrum nuruumque*, an *matrumque nurumque*), sed fugit plerumque contractionem Ovidius; itaque habet *manuum* Met. IV, 39. Idem versus iubet ap. Lucretium II, 927: *Ova cernimus alituum*, et Virgilium Aen. VIII, 27: *alituum pecudumque genus sopor altus habebat*. De qua re conferendi Voss de anal. II, c. 18. Drakenb. ad Liv. V, 26, 5. *Specu* et *specus* commenmendant grammatici (Schneid. gr. III, 345), sed poëtis dactylicis commodior erat forma *specus* feminino genere usurpatum ab Ennio: *Tum cava sub montei late specus intu(s) patebat*. (Priscian. p. 713. P.), masculino ab Ovid. Met. VII, 409, XI, 235, neutro a Virg. Aen. VII, 568.

§. 11.

Ad *quintam declinationem* vocabula nonnisi pauca referuntur. Eorum genitivus in *ei* formatus cum parum commodus videretur epicis maxime poëtis, si fides habenda est Gellio IX, 14, olim usurpata est *es* terminatio. Auctorem Gellius apellat Ennium: *Postremao longinqua dies confecerit aetas.* Quem secutus est Lucretius IV, 1077: *Quodcunque est, rabies unde illae germina surgunt.* Sed apud eundem Lucretium *rei* ponitur μονοσυλλάβως. IV, 883. Nec respuerunt *e*, vel *i* genitivos, de quibus incertos vides grammaticos apud Virgilium Aen. III, 636: *munera laetitiamque dii*, et Georg. I, 208: *Libra dii somnique.* Habes *i* in versibus a Gellio laudatis, IX, 14:

Altera pars *acii* vitassent fluminis undas.
An maneat *specii* simulacrum in morte silentum.

Cfr. Horatium Od. III, 7, 4, nec a prosa oratione illud alienum esse constat. Vide Köene l. c. p. 83 sq.

Ad genus quod attinet, *dies* pro necessitate metri nunc masculino, nunc feminino genere dicitur a poëtis. Nam etsi *ultimus ille dies* Virgilio legitur Aen. IX, 759, et *festus — dies* Hor. Epist. I, 5, 9, multo frequentius tamen femininum est. Auctores collegit Koene l. c. p. 85. Pluralis feminini generis ab epicis quidem alienus.

§. 12.

Persequamur nunc pauca e *declinatione irregulari.* Supra dictum est de *specu* et *specus* forma duplicata. Nunc additur *cornu*, cuius genitivum *cornorum* epicis tribuit Koene, p. 101, sed ille sine exemplorum auctoritate. *Tonitrua* idem ille affert ex Met. I, 55, XII, 52, cum *tonitrus* sit apud eundem Ovidium Met. II, 208. Pro *gratiae* et *gratia*, ut creticos evitarent, epicis usitatum est *grates*. Virg. Aen. I, 604, VI, 508. Ovid. Met. II, 152. Prosaicorum terminatio, exceptis aliquoties Livio, Tacite, Curtio, est *gratia* et *gratiae*. Ex *defectivorum* numero in promptu est *coelum*. Eius pluralem *coela* vitiose dici, auctor est Caesar apud Gell. XIV, 8. *Coeli* non exstitit ante Lucretium et Sil. Italicum (IX, 287). Alienus a prosa pluralis, siquidem, quod Cicero scripsit ad Fam. VIII, ep. ult: — *unum coelum esset, an innumerabilia,* attractionis tantum lege dicitur. Cfr. Reis. gr. p. 128. Contrario modo *compede* pro *compedibus* solus habet ni fallimur, Ovidius (Trist. IV, 1, 5).

§. 13.

Commemorantur a grammaticis *pluralia nomina*, diversa a singulari significatione dicta (Z. §. 96). Eorum, quae ad poëtas pertinent, quaedam addimus: *avena* Hafer. *avenas* Rohr. Virg. Ecl. V, 37, Georg. I, 154, *vina, musta, mella*, i. e. varia genera vini etc.

stanna, *aera*, *orichalca*, i. e. fragmenta horum metallorum (non dicunt tamen poëtae *aura*, *argenta*), quibus adde *pices*, *cerae*, *hordea*. Virg. Ecl. V, 36. Quod dicunt discrimen esse inter *epulas* et *epulum*, id nullum est apud poëtas. Promiscue utitur Horatius Sat. II. 3, 86, et Od. III, 8, 6. Similiter *litteram* pro *litteris* habet Ovidius Trist. III, 1, 15.

§. 14.

Pergimus ad *heteroclita* et *heterogenea*. Ac de graecis quidem nominibus propriis in *ευς* supra dictum est. Nec potest dubitare, qui Ciceronem legerit ad Att. VII, 3, quin graecum flectendi genus sit poëtis unice relinquendum. Tum vero, quae in *ης* exeunt, ut *Εὐριπίδης*, Aeolico more aliquoties in *eus* finiuntur cum genitivo *ei*, de qua re v. Bentl. ad Hor. Carm. I, 15, 32. Porro neutra graecorum in *os* terminata a Latinorum poëtis secundae sunt declinationi assignata interdum, ut *chaos*, *chai*; *melos*, *meli*. Serv. ad Virg. Aen. I, 668. Voss. de anal. I, 46, p. 642, II, p. 736. Denique neutra graecorum in *α* finita, etsi tertia declinatione flectuntur a Romanis, Plautus tamen praetulit primam, ut *dogma*, *ae*; *schema*, *ae*. Adi Heusingerum ad Vechn. Hellenol. p. 26, et Lambin. ad Plaut. Amphitr. prol. v. 117. Itaque, quomodo e *δάκρυμα* natum sit *lacryma*, manifestum est. *Schemas*, *stigmam* ex Petronio attulit Haase ad Reis. gr. I. p. 113. — Sed haec de graecis nominibus sufficiant. Latinorum heteroclita quae exstant, ex iis *iugerum* secunda declinatione a prosaicis flecti, *iugere* et *iugeribus* poëtarum esse, Zumptius observat. §. 97 (Locos cfr. hos: Tibull. II, 6, 24. Juvenal. Sat. IX, 60, Ovid. Met. VI, 457, 181, Koene p. 62). De *vespere* et *vespero*, *vesperi*, cfr. quae supra diximus. Est autem notissima epicorum necessitas, qua dicunt *Tartara* pluralem pro *Tartarum*, forma dactylicis rhythmis repugnante. Eadem e licentia profectum *sibila*, *carbasa*, *arbuta* (Virg. Georg. III, 301). Accedunt *Maenala* (Virg. Ecl. I, 55), *Dindyma* (Virg. Aen. IX, 618, Ovid. Met. II, 223, Fast. IV, 134), *Ismara* (Virg. Georg. II, 37), *Bospora* (Propert. III, 9, 6), quos locos collegit Koen. p. 31 sq. *Laurus* vocabuli genitivum *lauri* et *laurus*, accusativum pluralivum: *laurus* et *lauros* Zumptius notavit p. 88, eamque varietatem epicis deberi, Koenius docet l. c. p. 97. Quae in *entum* exeunt vocabula secundae declinationis, corripi a poëtis, notissimum est; velut *monumen*, *tegumen*, *(tegmen)* etc. *Arabis*, dativum pluralem, ab *Arabs* observamus apud Virg. Aen. VII, 605. Aliis poëtarum heteroclitis, allatis a Zumptio §. 98 annumeramus haec: *anciliorum* ab *ancile* Hor. Od. III, 5, 10. Poëtarum sunt porro propria: *frena* pro *freni*; *iuventa* pro *iuventus*; *senecta* pro *senectus*; *vulturius* pro *vultur* (Catull. 68, 124, Lucret. IV, 684). Arborum aliquot nomina quarta declinatione a poëtis flectuntur, cum sint secundae propria. In his sunt *laurus*, *pinus*, *ficus*, *cupressus*, *platanus (platanus aëriae*. Virg. Cul. 123).

III.

De numerorum permutatione poëtica.

§. 15.

Quoniam de declinationibus egimus, dicamus quaedam de numerorum permutatione apud poëtas obvia. Constat enim, quam *enallagen* numeri antiquiores vocant grammatici, eam cerni in eo, quod singularis ponatur pro plurali, pro singulari pluralis. Hoc etsi ad syntaxin poëticam pertinet, cum angustioribus finibus noster sit libellus circumseptus, maluimus hic adumbrare. Ac prior quidem permutatio, qua *singularis loco pluralis ponitur*, in collectivis potissimum locum habet.

Aut enim fit *in gentium nominibus*, ut Horatianum est illud: *delicta maiorum immeritus lues*, *Romane*. Carm. III, 6, 2, *et laetum equino sanguine Concanum*, Carm. III, 4, 34. *Dacus et Aethiops*, Carm. III, 6, 14. *Cantaber non ante domabilis, Medusque et Indus* etc. Carm. IV, 14, 41. *Assuetum malo Ligurem*, Virg. G. II, 168, aut in *appellativis* collectivis; ut *late loca milite complent*, Virg. Aen. II, 495. *Quam multo repetet Graecia milite*, Hor. Carm. I, 15, 16, III, 29, 3, *horna fruge*, ibid. III, 23, 3, *placido lumine*, Carm. IV, 3, 2, *mille fabae modii*, Hor. Epist. I, 16, 55, estque plerumque haec consuetudo obvia in additis adiectivis: *multus*, *plurimus*, *rarus* etc., ut *multa cane*, Hor. Epod. 2, 31, *multa fruge*, Ep. I, 16, 10, *multa hostia*, Virg. Aen. I, 338, *in ramis multa latebat avis*, Ovid. Am. 3. 5, 4, *multo pisce*, Ovid. A. A. I, 48. *Plurima mortis imago*, Virg. Aen. II, 369, *plurima lacrima*, Hor. Epist. I, 17, 60, *arbor et casa rara fuit*, Ovid. Fast. V, 94. Peculiaris est singularis in *tacita virgine*, Hor. Carm. III, 30, 9 (i. e. vestalibus).

§. 16.

Latius patet *pluralis positus pro singulari*. De qua re copiose, docte et subtiliter scripsit, quem supra nominavi, C. G. Jacob (Anall. schol. Port. 1841). Is fuse tractavit, quae auctorem eundem secuti summatim adumbrabimus.

Ac nominamus ante omnia, quae frequentissima sunt in oratione poëtarum. Sunt haec nomina herbarum, ut *acanthi*, *aconiti*, *croci*, *papavera*, *serpylli*, *thymi*, *violae*, frumentorum, *avenae hordea*, leguminum, ut *fabae*, metallorum, ut *aera*, *electra*, *orichalca* mineralium, ut *sulphura*, rerum naturalium, ut *arenae*, *cruores*, *fumi*, *glacies*, *mella*, *musta*, *pulveres*, *vina*, *vites*, denique vocabula partium corporis, ut *cervices*, *colla*, *corda*, *corpora*, *nares*, *pectora*, *sinus*, de quibus omnibus exposuerunt Voss. Aristarch. lib. III, c. 37 — 45, T. I. p. 442 — 513 ed. Foertsch. Thom. Ruddim. Inst. Gramm. T. I. p. 139 — 148. ed. Stallb. Shneid. Gr. T. II. P. I. p. 395. Reisig. gr. I. p. 131 — 138. ed. Haase.

Tum e vocabulis abstractis, notantur.

amores, continuitatem amoris poëtice indicantes, ut Virg. Aen. IV, 28. Ovid. Met. I, 617, Virg. Aen. V, 334, Ovid. Her. XVI, 241, Trist. II, 429, Met. IV, 276, Tibull. I, 2, 91. Similis pluralis legitur apud Sophoclem, Antig. 630: λέχε-

πολλοῖς δ' ἄκατα κουφονόων ἐρώτων. Porro occurrunt *irae*, dictae modo de variis generibus et rationibus irae, ut *Libycae irae* Lucan. Phars. II, 93, variis modis explicatae, modo de singulis irae motibus, ut *colligit iras*, Virg. Aen. X, 412, XII, 491. cfr. Sil. Ital. X, 128, Stat. Theb. IX, 692, Ovid. Met. I, 234, et Horat. Epp. I, 4, 12: *inter spem curamque timores inter et iras.* Pluralis singulari iunctus simillimus est apud Statium Theb. V, 393: *fragor inde iugis, inde omnibus irae*, caute utrobique explicandus. — *Metus* plurativo numero varias metuendi caussas significat, Aen. I, 463, *solve metus.* Ovid. Met. V, 563 *depositique metus* cum optimis Mss. ediderunt Bach. et Loers. pro vulgato: *depositoque metu.* Sic *virginei metus* Ovid. Met. X, 466, *vanos — metus.* Heroidd. XVI, 342. Euripides Electr. 453 de clypeo Achillis: τοιάδε σήματα. Praeterea *timores* accipe pro personis, pro quibus timemus apud Statium Silv. III, 2, 80. Itaque cum singulari utuntur, unam metuendi caussam monstrant; ut Virg. Aen. I, 562, *solvite corde metum.* Proinde *mortes* cum apud prosaicos iteratam moriendi actionem significent, ut Cic. Tusc. I, 48, 116, a poëtis dicitur de variis moriendi generibus. Sic. Ovid. Met. XI, 537: *totidemque videntur — ruere atque irrumpere mortes.* cfr. Lucan. Phars. VII, 100: Stat. Theb. VI, 793. De θάνατοι vocabulo vid. Seidler. ad Eurip. Electr. 479, Ellendt. Lex. Soph. T. I, p. 781. Tum eundem Jacobum secuti notamus: *ortus*, *rivi*, *soles.* Apud Tibullum quidem I, 1, 49, 50: *Canis aestivos ortus*, calores Sirii intelligito quotidie redeuntes; *rivos* celeres aquae cursus, sese in rivos quasi multiplicantes. Adde Hor. Carm. IV, 15, 15, *calores*, Hor. Carm. III, 24, 36, *frigora*, ibid. III, 19, 6, *soles*, Virg. G. II, 481. (ἀντολαὶ Ἠελίοιο, Hom. Od. XII, 4). Ovid. Fast. II, 311 — *Paces* habet Hor. Epp. I, 3, 8, Epp. II, 1, 108, quibus locis Schmidius plura Persii et Plauti exempla addidit. Qua ratione prosaici *pacibus* utantur, docuit Kritz. ad Sall. Jug. 31, 20. — *Reditus* legimus Tibull. I, 3, 13, i. e. reditum saepe nunciatum: Alia exempla v. apud Broukhusium. Addidit Jacob. Hor. Carm. III, 5, 52. Compara Cic. or. pr. Arch. I, 3, ubi similiter *eius adventus* iteratam adveniendi actionem significant. *Triumphos* de uno triumpho amplificandi caussa habet Tibull. I, 7, 5. Denique notentur *iudicia*, Ov. Her. III, 104, *robora*, XVI, 367, *dolores*, Met. III, 471, *cruores*, Hor. Carm. II, 1, 5, ut αἵματα Aesch. Suppl. 262, *questus*, Ov. Met. IX, 276, *fastus*, ibid. XIV, 761, *dedecora*, Hor. Carm. III, 6, 32, *morae*, Tibull. I, 3, 16. —

Et de abstractis quidem hactenus. Pluralia occurrunt in nominibus locorum, regionum aliarumque rerum naturalium augendi amplificandique caussa. Ex his sunt

flumina, *littora*, *fontes*, *aequora*. *Latices* insolentius ap. Ovid. Met. V, 636. *Cineres* dubium est Ovid. Her. I, 24. *Lacus*, Juven. Sat. IV, 61, *aequora*, *arces*, *valles*, *montes*, *viae*, *axes*. Et *arces* quidem saepenumero de montibus, scopulis, iugis dici (Drakenb. ad Sil. Ital. XV, 305, et Bach. ad Ovid. Met. I, 57), tum de urbibus, aut castellis montibus impositis (Wagner. ad Virg. Georg. II, 172, Bentl. ad Hor. Carm. Saec. 65, Jani Art. Poët. Lat. p. 478), docuit Jacob. l. l. p. 22. Itaque *Capitolia* dicuntur Virg. Aen. VI, 837, VIII, 653, Ovid. Met. XV, 589, 866. Vid. Drakenb. ad Sil. Ital. XI, 267. *Saxa* de uno monte posuit Hor. Sat. I, 5, 26, ut ὤρεσι Theocrit. VII, 152. *Valles* de una valle Ovid. Fast. I, 264, Virg. Aen. IX, 244. —

Late patet pluralium genus a poëtis latinis valde amatum, quod magnitudinem, gravitatem, praestantiam et pulchritudinem significat.

Magnitudinis igitur sunt pluralia: *regna*, Virg. Aen. II, 22, *gentes*, Aen. X, 139, *tela*, Ovid. Her. XIV, 76, *monstra*, Bach. ad Ovid. Met. IV, 591, *nomina*, Met. XIV, 396. *Silentia*, Ovid. Met. I, 232. *Pignora* de filio Stat. Achill. I, 127. *Ortus*, Sil. It. I, 110, *morbi* pro febri Tibull. IV, 11, 3. Cfr. *νόσοι* Soph. Aiac. 59. Eundem numerum pluralem constat quandam praestantiam significare. Sic *artes* de clipeo Aen. V, 359, *dona* de clipeo a Vulcano fabricato, ibid. VIII, 729. Nemini ignotus est Homer. Il. XX, 268: *χρυσὸς γὰρ ἐρύκακε, δῶρα θεοῖο*. Usitatum est illud pluralis genus in rebus sacris et divinis ut *tua numina*, Ovid. Met. XIII, 82. *Membra* de manu dixit Martial. Ep. X, 25, 2. Ita Veneris *στήθεα ἱμερόεντα* Hom. Il. III, 397. Telemachi *ἅρματα* Odyss. IV, 42. *σάρκες* de una bestia IX, 242. Circes *δώματα* X, 242 (V. Jacob. p. 31). *Portas* constanter a poëtis Latinis de una porta dicuntur, ut Virg. A. VI, 631, IX, 499. *Monumenta* ad unum aedificium referuntur, etiam a Tacito Ann. II, 8, IV, 7. *Antennas* habes de una navi dictas ab Hor. Carm. I, 14, 7, pariter, ac *puppes* Ovid. Her. II, 45. *Enses* de uno gladio Stat. Theb. XI, 629. *Classes* una est classis Aeneae Virg. Aen. X, 36.

Denique amplificatio plurativa apud poëtas ex indefinito dicendi genere proficiscitur. Aut enim, *qualis sit aliquis* plurali indicatur, ut praeclare vidit Wagner. annot. ad Virg. Aen. XII, 798.

Ensem reddi Turno et vim crescere *v i c t i s*, ubi *victis* est *ei*, *qui pro victo iam est habendus* (einem Besiegten, non dem B.). Contulit Wagnerus Aesch. Prom. Vinct. 67, *τῶν Διός τ' ἐχθρῶν ὕπερ στένεις*, i. e. de tali, qui est adversarius Jovis.

Aut obscuritatem de consilio quaesiverunt plurali numero, ut in effatis divinis rebusque mythologicis:

ne pete connubiis natam sociare Latinis Virg. Aen. VII, 96, et ibid. v. 98: *externi veniunt generi.*

Aut exaggeratur quasi altius oratio indefinito plurativo.

Sic: *monstra Erebi, Scyllas et inane furentes Centauros,* Statio Theb. IV, 533. Compara Ovidium Her. IX, 37, 38, *inter serpentes aprosque* etc. De qua amplificatione per pluralem indefinita Loersius iubet adire Longinum (de subl. sect. 23), *ἐκεῖνα μᾶλλον παρατηρήσεως ἄξια, ὅτι ἔσθ' ὅπου προσπίπτει τὰ πληθυντικὰ μεγαλοῤῥημονέστερα, καὶ αὐτῷ δοξοκομποῦντα τῷ ὄχλῳ τοῦ ἀριθμοῦ.*

Denique modestiae, vel urbanitati pluralis inservit.

Et nos (i. e. Palamedes) *aliquod nomenque decusque gessimus.* Virg. Aen. II, 89. Cfr. *χόλον αἰπὺν Ἡμέτερον.* Hom. Il. XV, 224.

IV.

De nominum derivatione et constructione poëtica.

§. 17.

Transeo ad proprietates quasdam poëtarum in nominum substantivorum et adiectivorum derivatione et formatione conspicuas. Loquar autem primum de substantivis. Notandae

hic quaedam formae antiquiores et rariores, quibus vel vetustas, vel insolentia gravitatem aliquam ac dignitatem addit. Ita plenius sonavit *Mavors* pr. *Mars*, *navita* pro *nauta*. Antiquius *induperator* pr. *imperator*, Juv. Sat. X, 138, *indupeditus* (ex antiquo *indo* pr. *in*). Porro *ia* syllabam finalem primae declinationis epici maxime mutaverunt in *ies*.

Sunt exempla: *avarities*, Lucr. III, 59, *nequities*, Hor. Sat. II, 2, 231, *spurcities*, Lucr. V, 48, *notities*, ibid. V, 183, *mollities*, Ovid. Am. II, 8, 18, *barbaries*, Am. III, 8, 4. Tamen quaedam ex his in prosam immigrarunt. Invenies haec notata a Koenio l. l. p. 197. Multa idem ille congessit; unde, quam vim metrorum vincula habuerint, intelligas. Nam nominibus tertiae declinationis in *us* g. *utis*, et *itas* g. *itatis* alia praetulerunt epici poëtae. Sic pro *servitus* habent *servitium*, Hor. Sat. II, 5, 99, Virg. Ecl. I, 41, aiil. *Propinquitas* mirabiliter Ovidius mutavit in *proximitas* A. a. II, 661, Met. XIII, 154, *vicinitas* in *vicinia*, Met. VIII, 225. Inauditum fere est *variantia* Lucr. I, 653, III, 319. Ita *pauperies* pro *paupertas* a prosaicis alienum. *Materies* stabilitum est Virg. Aen. XI, 328, Hor. A. p. 131. *Materia* in casibus obliquis Ovidio praeplacet, etsi dubia Mss. fides Met. II, 5, in verbis: *materiem superabat opus*. Abstinent, epici maxime, formis: *alluvio*, *diluvio*, ut incommodis. Invenimus pro his: *diluviem* Lucr. V, 256, *eluvie* Ovid. Met. XV, 267, *proluvies* Virg. Aen. III, 217, *illuvies* Aen. III, 593. Abhorrebat a genere dactylico *tudo* terminatio. Ergo *canitiem* pro *canitudine* (Plautus apud Fest. p. 47, Varro apud Non. 82), fecerant epici. Non minus mirabilia sunt *aegror*, *amaror*, utrumque apud Lucret. VI, 1129. 1157, IV, 224. Cfr. Virg. Ge. II, 247, notatum a Gellio I, 21. *Mentum* terminatio parum expedita visa est. Pro ea *men* posuerunt, ut *momen* Lucr. VI, 473, *augmen* ibid. VI, 607, *fragmen* Ovid. Met. VIII, 460, *firmamen* Ovid. Met. X, 491, *munimen* Virg. Georg. II, 352. (Koen. p. 206.) Cfr. §. 14.

Notissima est syncope syllabarum *culum*.

Itaque *periclum* extat Virg. Aen. II, 709, *gubernaclum* Aen. VI, 359, *vinclis* Aen. II, 135, *seclorum* Ecl. IV, 5, *oraclum* Aen. III, 143. Atque adeo *Asculum* in *Asclum* mutat Sil. It. VIII, 440. Rarissime contrahuntur masculina in *ulus*, etsi *circlos* audet Virg. Georg. III, 166. Simile extat contractionis genus in *tegmen* pro *tegimen* s. *tegumen*. Exemplo est Ovid. Met. XII, 92, Virg. Aen. XI, 577, VII, 632. In prosa *tegmen* non invenies, nisi ap. Tacitum Ann. III, 43, II, 14.

Pergimus ad *deminutiva*, quorum usus apud poëtas triplex fere est. Nam, cum omnino carminibus tenuioribus conveniant lusibusque poëticis; ita usurpantur aut suavitatis, aut mollitudinis caussa; ut cum *ocelli* dicuntur pro *oculis*, *labella*, *agelli*, *capellae*. Copiosus est in hoc genere Catullus. Aut contemptui, vel irrisioni conveniunt, ut *fraterculus esse gigantis*, Juven. S. IV, 98, *opella forensis*, Hor. Epist. I, 7, 8; aut denique commiserationis caussa adhibentur; ex quo genere est: *matercula pallet*, Hor. Epist. I, 77, *misello passer*, Catull. 3. extr. Cfr. Jani Art. P. p. 331. Ut singulare notamus *annellum* pro *annulum*, Lucret. VI, 1022, 1037.

De patronymicorum usu poëtico, qui graecis debetur, satis nota sunt omnia.

§. 18.

Proinde est de *adiectivis* dicendum. Poëtarum est autem proprium, ut substantivi formam adiectivorum loco ponant, fitque illud non in *nominibus propriis* solum, ut provinciae nomen pro adiectivo gentili usurpetur, veluti

Asia prata ap. Virg. Georg. I, 183. *Asia palus* Aen. VII, 701 (Ἄσιος λειμών Hom. Il. II, 461). *Asia myrtus* Catull. 58, 22. *Arcadius magister* Virg. Georg. IV, 283. *Arabio bombyce* si recte codd. habent Prop. II, 3, 15. Et apud eundem XI, 30, *Baiae-aquae. Colcha venena.* Ovid. M. VIII, 394, et cum eo Hor. Carm. II, 13, 8. *Romula gens* Hor. C. S. 47 (Ἑλλὰς αἰχμὰ Eurip. Troad. 852), quibus accedunt feminina graecorum gentilitia in latinum sermonem a poëtis transformata, ut: *Pelias hasta* (a Pelion), *Ausonis ora*, *Hesperides aquae* (Vid. quae ex Ovidio diligenter collegit Koene p. 193).

Sed liberiore more etiam in *appellativis*, Graecos imitati, substantivis nominibus vim adiectivi tribuunt.

Nam, ut est ab Homero dictum Il. ώ, 58: γυναῖκά τε θήσατο μαζόν, et ab Hesiodo, Ἔργ. 191: καὶ ὕβριν ἀνέρα, eodem modo legitur: *fabulae manes* Hor. Carm. I, 4, 16, *heroës manus*, Prop. II, 1, 1, *iussa magistra*, de quo cf. Drakenb. ad Sil. Ital. III, 387. Adde *auctumnae pruinae* Auson. Idyll. 8, 10. *Oceanus fluctus* Juvenal. Sat. XI, 94. *Adulteri crines* Hor. Carm. I, 15, 19. *Sibila ora*, Virg. Aen. II, 211. *Lingua susurra* Ovid. M. VII, 825. *Servum pecus* Hor. Ep. I, 19, 19, Ovid. Fast. VI, 558. Id praecipue accidit in verbalibus in *tor* exeuntibus. *Victor equus*, Virg. Georg. III, 498. *Bellator taurus*, Stat. Th. III, 330. *Victrices catervae*, Hor. IV, 4, 23. *Risus proditor*, Hor. Carm. I, 9, 22. Quae etsi a prosa oratione non prorsus aliena (v. Bentl. ad Hor. Carm. IV, 9, 39), maior tamen est poëtarum in hoc genere licentia formaturque ab his nominibus substantivis adeo pluralis neutrius generis, ut *victricia* (arma), *ultricia* (tela). *Hospitia* et *inhospitia* pro *hospitalis*, *inhospitalis* epicis necessarium fuisse, res metrica docet. Quum enim *hospita tellus* sit ap. Ovid. M. III, 637, *inhospita tecta*, ibid. I, 218, lyricis poëtis placuit *inhospitalis*. Cfr. Hor. Carm. I, 22, 6.

§. 19.

Sunt quaedam adiectiva a prosa abhorrentia solisque fere poëtis relinquenda.

Notamus haec: *accomodus* (pros: accomodatus), *aquaticus*, *egenus* (pr. egens), *impermissus* (pr. illicitus), *inopinus* (pr. necopinatus), *adapertilis*, *violens* (pr. violentus). *Innumerus* Ciceronis quidem aetate poëticum fuisse, notatum est a Mureto et Lagomarsino ad Maria Gratian. Vol. I, p. 196, Reisigio denique gr. I. p. 300, *Bimaris*, *immedicabilis*. Imprimis composita in *ger*, *fer*, *color*, *vagus*, *pes*, *volus*, *fluus*, *loquus*, *gena*. *cola*, *canus*, *ficus*, exeuntia quam plurima, tantum non omnia, poëtica sunt. Ex quo genere adiectivorum multa ab Ovidio novata esse, ut *aurigena* Met. V, 250. *Apenninigena*, XV, 432, *draconigena*, Fast. III, 865. *Ianigena*, Met. XIV, 381, *amnicola*, X, 96, *ignipes*, II, 392, *flexipes*, X, 99, *pennatiger*, XV, 450, etc. etc. notavit Loers. Corrigend. et Add. ad Ov. Met. p. 35. A substantivis in *or* derivant poëtae: *canorus*, *honorus*, *odorus*, quibus raro prosaici utuntur. Poëtarum sunt adiectiva *iuvenis* (Ovid. M. VII, 295), *senex*.

§. 20.

His quaedam addamus de permutationibus *terminationum derivativarum* a poëtis cogente plerumque metro dactylico admissis.

Sunt autem hae: *ĭus* et *ĭanus* mutantur passim in *iacus*. *Titaniacis* draconibus Ovid. Met. VIII, 398. *Gnosiaci regis* Ovid. Met. VIII, 52; cum sit: *astra Titania* Virg. Aen. VI, 725. *Gnosia castra* Ovid. Met. VIII, 40. *Hadriacus* pro *Hadrianus* habet Virg. Aen. XI, 405, cum *Hadrianus* legatur Hor. Carm. I, 16, 4. *Actiacis* pro *Actiis* invenit Ovidius Fast. I, 711. Cfr. Met. XIII, 715. Imitatus est Tacit. Ann. I, 48. *Actias* gen. *Actiadis* est ap. Statium Silv. III, 2, 120. Deinceps nota, *ĕus*, *ĭus* mutari in *ēĭus*, vel *ēus (ueus)*, vel *atus*. Id fieri plerumque intelligitur praecedentibus duabus syllabis brevibus (venĕrĕus), vel vel una longa (aureus, Phoebius). Sic *Rhodopeïus heros* Ovid. Met. X, 50. *Stheneleïa proles* (Met. II, 67). *Cinireïa virgo* Met. X, 369. *Phoebēos ictus* Ovid. Met. V, 389. *Philippēo sanguine* Propert. III, 9. 40, *cygnēas plumas* Trist. IV, 8, 1. *Auratam lyram* pro *aurea* habes Ov. Met. VIII, 16. Similiter *aeratae catenae* Prop. II, 16, 11, *ferratos postes* Hor. Sat. I, 4, 61. At contra terminationes *alis*, *inus* transisse aliquoties metri caussa in *eus*, docemur his exemplis: *vultus virgineus* Met. X, 631, *vipereus cruor* Ov. Pont. IV, 7, 36. Cfr. Met. II, 769. Nam lyricis quidem non incommudum visum est *viperinus*, quod habet Hor. Carm. I, 8, 9. Pro *adulterinus* poëtis placuit *adulter, era, um*. *Uarius* in *uus* mutatum est in *Februa* Ovid. Fast. V, 424. *Inferus*, si pes creticus oritur, fit *infernus*, ut *inferni* superique maris. Lucan. II, 400. Neglexerunt in ea re significationis rationem, ut cum *bellica virgo* et *bellica Pallas* pro *bellicosa* dixit Ovid. M. IV, 753. V, 46, vel *vigilacibus excita curis* pro *vigilibus* Met. II, 779. Pro *Atheniensis* versu iubente aut *Athenaeus* dicitur, ut Lucret. VI, 749, aut *Atticus*, vel *Cecropius*. Adiectiva in *ilis* exeuntia contra vulgarem significationem aliquoties participium praeteriti passivi imitari, *tortilis* ostendit, quo adiectivo res, quae *torta est* vel *incurva*, significatur; ut *buccina tortilis* Ov. Met. I, 335, *piscis tort.* XIII, 915. Praeterea ab Ovidio multa ex hoc adiectivorum genere novata esse, ut *exsequialis*. Met. XIV, 430, *fusilis* XI, 126, *dubitabilis* I, 223 observatum est a Loersio in Corr. et Add. ad Ov. Met. p. 35.

§. 21.

Notetur pleonasmus *adiectivorum minuentium*, substantivis deminutivis additorum, qui etsi non alienus omnino a scriptoribus prosaicis, ut *pisciculi parvi* apud Cic. de N. D. 2, 48; tamen poëtis multo est familiarior; iis praesertim, qui quotidianum genus dicendi imitantur. Nam habes eosdem *pisciculos minutos* Terent. Andr. 2, 2, 31, *puellam parvulam* Plaut. Curcul. IV, 2, 42. *Libellum pauxillulum* Plaut. Pseud. 2, 4, 16. *Turgidulos ocellos* Catull. 3, 18.

§. 22.

Persequar nunc constructionis adiectivorum rationes aliquot ac proprietates. Ac primum quidem satis constat, quam frequens omnino sit pro genitivo cum aliorum, tum imprimis nominum propriorum, usus adiectivi, qua re et metricis responderi rationibus, et

dictionis in pingendis rebus venustatem augeri manifestum est; ut eum pro *Romuli gens* dicatur *Romulea gens*, vel *Iliacae arces*, *arbutei fetus*, *nomen Arionium*, et alia innumerabilia.

§. 23.

Adiectivorum neutris Graecorum more loco adverbii utuntur.

Nam ut est: δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευσεν. Hom. Il. II, 138, ita *dulce ridentem* — *dulce loquentem* Lalagen amat Horat. Carm. I, 22, 23, 24, *dulce queruntur aves* Ovid. Her. XV, 152. *Saxosum sonans Hypanis* Virg. Georg. IV, 370. *Perfidum ridens Venus* Hor. Carm. III, 27, 66. Videndus, qui multa ex hoc genere exempla collegit Jani Art. p. p. 81 sq. Pluralis neutrius etsi rarior est, invenitur tamen. *Multa gemens* Virg. Aen. V, 868. Victor equus pede terram *crebra ferit*. Virg. G. III, 499. Venti *transversa* fremunt Virg. Aen. V, 19.

§. 24.

Non minus notum est, adiectiva cum vi substantivorum poni a poëtis. Id non metrorum tantum caussa, sed ad augendam vim attributi fieri apparet; fitque illud tum singulari, ut *commune magnum* pro *re publica* Hor. Carm. II, 15, *nigrum* pro *nigrore* Ov. A. a. I, 291, tum saepissime plurali; ex quo genere sunt neutra pluralia cum genitivo substantivi, veluti

Strata viarum Lucr. IV, 416 pro *stratae viae*. *Clausa domorum* ibid. I, 354. *Cuncta terrarum* Hor. Carm. II, 1, 23. *Abdita rerum* Hor. A. P. 49. *Amara curarum* Hor. Carm. II, 1, 23. *Omnia rerum* Prop. III, 9, 7. Imitati sunt Livius, ad *maiora rerum* I, 1. Tacitus Ann. IV, 40: *praecipua rerum* ibid. II, 76: *inania famae*, et imprimis latinitatis poëticae aucupes, Florus, Curtius, Apuleius.

Verum etiam simpliciter quaedam adiectiva pro substantivis apud poëtas invenies, cum alia, tum maxima *potens*, ut *Diva potens Cypri.* Hor. Carm. I, 3, 1. Adde Carm. I, 5, 15.

§. 25.

